Coloniensis ecclesie (advocatus) cum ~~et~~ copioso exercitu ~~advo-~~
~~catus~~ Coloniensem episcopatum ingressus resedit
cum exercitu suo in campestribus villarum Surde
et Rodekirchen non longe a Colonia, et castra
1302 sept. et oct. ibidem sua ponens per sex septimanas et amplius
terras et loca Coloniensis ecclesie populando damp-
nabiliter molestavit. Tandem vero in amicicia gravam
cum dicto Coloniensi archiepiscopo dictus rex
conveniens pro illatis sibi ad suggestionem ma-
lorum iniuriis beneficia sibi regia pollicitus ad
propria est reversus. ‖

Habuit[1] autem dictus Albertus rex nepotem, filium
fratris, nomine Johannem, ducem Alemannie, adhuc
pupillum, quem propter iuvenilem eiusdem etatem
apud se satis honeste, prout tanti nobilis requirebat
condicio, retinebat. Dictus igitur iuvenis malorum
et insipiencium iuvenum instigatus consilio, quasi
videlicet dictus rex ducatum ipsius iuvenis et pos-
sessiones sibi auferens ipsum ab administratione
libera terrarum suarum et dominii artaret, quodam
tempore oportunitate captata, dum in navi unica
paucis presentibus de familia regis una cum ipso
rege quemdam fluvium transfretaret, dictus Johannes
1308 mai. 1. in ipsum regem patruum suum irruens eundem
crudeliter interfecit. Qui quidem dux Johannes

1) Cf. Hist. imp. Colon.